

in remissionem peccatorum, ac velut præ- Anno  
cursor viam Christo paravit. Eundem C,  
prodeuntem in publicum Baptismo tinxit,  
ornavit illustribus testimoniis, ac digito Au-  
ditoribus suis monstravit, nec diu post su-  
per fuit, ab *Herode* ob liberio rem censuram,  
ad lubitum *Herodiadis* saltatriculæ capite  
plexus.

*Jesus Christus* Dei Filius, ex Maria Virgi-  
ne homo nascitur *Bethlehemi*, die 8. circum-  
ciditur, & 40. Domino sistitur in Templo.  
Mox adoratus à *Magis* fugit in *Ægyptum*,  
metu *Herodis* in infantes sævientis. Eo  
mortuo *Nazarethum* revertitur. Duode-  
cennis *Jerosolymæ* in Templo docet cum au-  
dientium stupore. Domi fabrilis, uti vi-  
detur, cum Patre putatio exercet. Anno A. 30.  
ætatis 30. munus suum publicum auspiciatur  
in *Baptismo* inauguratus voce Patris & visi-  
bili apparitione Spiritûs S. Vindicavit do-  
ctrinam *Legis* à corruptelis *Pharisæorum*.  
Promulgavit *Evangelium* ex sinu æterni Pa-  
tris allatum, ostendens se esse promissum il-  
lum *Messiam* ac *Mundi Salvatorem*. In-  
super stupendis ac verè divinis *miraculis*  
prædicationi suæ fidem fecit. Horum  
omnium testes domesticos esse voluit *XII.*  
*discipulos*, quos privatim instituit in myste-  
riis *Regni cœlorum*, & ut suos *Apostolos*  
ablegavit. Exegit in Ministerio quadrien-  
nium integrum, peragrans *Judeam*, *Sama-*  
*riam*, *Galileam*, & *Israëlitis* ubique se offe-  
rens. Sed quòd hypocrisin S. Ordinis, &  
C 2 alia